







*Jur. Ca. 103. 211.*

1754, 19

114

~~114~~

*J. Quentini, De lege Hortensia.*

COMMENTATIO

DE

LEGE

HORTENSIA

AUTORE

JO. LUDOLFO QUENTIN

PHILOS. CANDIDATO & SEMINARII, QUOD

GOETTINGÆ FLORET, PHILOLOGICI

QUONDAM SODALE.

---

Anno 1754.



COMPTON

1850

1850

1850

1850

1850





Σύνοψις

- |                                          |                                           |
|------------------------------------------|-------------------------------------------|
| §. 1. De Dictatore in genere             | §. 11. Pomponius erroris accusatus defen- |
| §. 2. Plebiscitorum origo                | ditur                                     |
| §. 3. De lege Horatia lata A. V. C. 306. | §. 12. Post legem Hortensiam plebiscita   |
| §. 4. De lege Publilia                   | legum nomen assumerunt.                   |
| §. 5. De Origine vocis Quirites          | §. 13. Differentia inter leges & plebis-  |
| §. 6. De lege Hortensia                  | cita; ubi simul character, quo leges      |
| §. 7. Glossa ridicula sententia          | & plebiscita discerni queant, commen-     |
| §. 8. Gens Hortensia                     | datur.                                    |
| §. 9. Laus, & Hortensii                  | §. 14. Excutitur, an idem Hortensius      |
| §. 10. Per Legem Hortens. L. Publilia    | legis de nudinis latae sit auctor?        |
| auctoritas restituta                     |                                           |



inter extraordinarios vel, ut alias appellant in-  
 termissos Romanorum Magistratus primum  
 merito locum occupant Dictatores, quorum  
 origo & prima instituendi ratio admodum con-  
 troversa esse videtur. Alii hunc Magistratum nomenque  
 Dictatoris ab Albanis, populo consanguineo, alii a Latinis,  
 (a) plerisque vero a graecis, quos illi *ἀποκρίτας, ἀγχις* & (b)  
*ἀγχοσας* dicunt, desumum esse arbitrantur. Dictatorem  
 autem a *dicendo*, vel quod a consule *diceretur*, cui dicto om-  
 nes audientes essent; vela *dicendo*, quod aliis omnibus dic-  
 taret i. e. imperaret & praeciperet, dictum esse volunt. (c)  
 Quicquid demum eius rei sit nil certi hoc loco constitui  
 posse autumo; rationem vero denominationis paulo pe-  
 nitius

A 2

- a) Vid. Wilh. Possardi diss. de Magistr. reipubl. romanae insertam Zamoseii, libro qui de Senatu Romano inscribitur p. 617. & Nieupoit rituum apud Romanos explicat. sect. II. c. 8. §. 1. p. 112.
- b) Vid. praeter Possard l. c. & Nic. Cragium de republ. Lacedaemonior. Libr. 2. c. XIII. p. 154. Harmostarum genus urbanum & omnes reliqui hic adducti apud Graecos parem regia dignitati potestatem habebant.
- c) Cfr. Nieupoit. l. c. p. 112. Possard. l. c. p. 618. & Cyriacus Lentulus de Statu rei romanae cap. XXIV p. 303.



nitius inquirere qui cupit, illum ad Nienportum Ezechielem Spanhemium (a) Lipsium (b) & Zamoscium (c) ablegare cogor, ubi sitim restinguendi occasionem nauicisci potest exoptatissimam. Dictatorum ergo primus referente Dionysio Halicarnassensi A. V. C. 253 vel, ut aliis placet, biennio aut triennio serius (d) T. Lartius Flavius creatus fuit, dum bellum cum Sabinis & Latinis, nec non domestica seditio, quam plebs aere alieno oppressa & adhuc dilectui dare nomen recusans minitabatur, iam iam imminebant. Quapropter voluerunt Romani, ut vir a Senatu eligeretur, populique suffragio approbaretur, qui semestrem haberet rerum omnium, ampliorem, quam sit consulum, potestatem, & a quo consiliorum factorumque rationem reposcere non liceret. (e) Causa igitur eligendi Dictatorem & creandi prima & quidem praecipua erat (f) seditionis ac belli gravationis terror & metus, cum ob quadraginta latinarum urbium contra Romanos conspirationem in summo respublica discrimine versari videretur. Huic tunc belligerendi potestatem deferebant. Creabatur autem dictator & comitiorum habendorum vel indicendorum (g) Senatus legendi, feriarum constituendarum, & clavi (h) figen-

- a) In praestantissima de usu & Praestantia numismatum diff. X. p. 171.
- b) De Magistrat. pop. rom. cap. 17.
- c) De Senatu romano Lib. II. p. 616.
- d) Cyriac. Lentulus de Statu rei rom. c. 24. p. 303. m.
- e) Vid. Livius Lib. II cap. 18. (f) Cui tamen sequenti tempore multa alia accessere cause e. g. cum vis aliqua maiore repente oborta ingentem urbi eisdem minitaretur: has vero omnes afferre instituti mei ratio prohibet; cum praeterea hoc in re nobis iam otium fecerint Cruerus, Perizonius, Lipsius & multialii. Omnium tamen optime Franc. Hotomannus de Magistr. romanor. apud Gravium tom. II. p. 1870.
- f) Ipsum jus comitia indicendi habuisse probat. J. Perizonius de rom. & graec. Magistr. p. m. 378.
- g) Vid. Wilhelm. Godeleyzi observat. in libr. VIII. Livii p. 157. & Perizonius Animadvers. historicis cap. V. statim initio.





figendi, causa & q. s. r. Semper, quod hic obiter moneo, in foro romano oriente nocte & silentio Romani suos Dictatores dicere confueverunt. (i) Neutiquam vero ut reliqui Magistratus, populi suffragiis creatus est, sed Senatus permiffum erat, ut privato consilio, quemcunque cuperent, eligerent, licet aliquando etiam populus, quem dictatorem dici vellet, juberet. Hac ratione Senatus potestatem, quam suo nomine ostentare non audebat, sub alio titulo plebi imposuit. Falsissima vero eorum est sententia, qui sub dictatoribus Magistratus alios cessasse contendere annuntur. (k) Legitimos enim Magistratus v. g. consules, censores etc: his regnantibus quoque remansisse, lex Ciceronis de dictatore, (l) ut in ceteris ita & in hac re cum jure veteri congruens, confirmat; ubi nimirum ita: *Asi quando est Magistratus populi, nec reliqui Magistratus ne sunt.* Eorum nunc amplissimam, nullisque fere limitibus (m) circumscriptam quod attinet potestatem, scriptores, eam summam & plane regiam, immo regia dignitate & potestate fuisse maiorem, perhibent. Quapropter & Dionysius Halicarnassensis (n) *αἰετὴν τυραννίδα*, quasi electitiam tyrannidem dicas, dictatori- am potestate appellat; immo eodem loco affirmat: *potestatis, quam Dictator haberet, magnitudinem, ipso vocabulo haud quaquam declarari.* (o) Vtque imperii & dignitatis præstantia eo clarius atque dilucidius patesceret, etiam alia

A 3

ho-

- i) cfr. Alexander ab Alexandro geniale. diem. lib. IV. cap. 23.  
 k) Vid. Jac. Cuiacii commentar. ad Pompon. L. 2. D. de orig. iur. extans apud Uhlum p. 14.  
 l) lib. 3. de legibus c. 15.  
 m) Nam in his tantum, nequando in regium fastigium exorbitaret, ipsorum restricta fuit potestas: 1) semestris tantum erat dignitas 2) nihil pecunie publicæ impendere poterat, nisi senatus aut populi iussu. 3) non licebat ei cum imperio extra Italiam ire 4) equum ascendere dictatori, nisi ad bellum iuro venisset. 5) Tribuni plebis turbare ipsum poterant & intercedere. Vid. plura apud Lipsi. l. c. p. 93. Liv. V. 38. VII. 3. & IX 34. (n) lib. V. 73. (o) lib.



honoris epitheta veneranda excogitavit antiquitas: hinc *Magister populi*, hinc *Prætor maximus* non raro vocatur. (p) Eius parendum erat siue mora dictis, aut ultimo supplicio luenda immorigeratio. Licebat ipso inconsulto populo in civis vitam & caput animadvertere, civitatem illi adimere, neque ab eius sententia ullo modo provocare permissum. Cumque ditio totius imperii, immo pacis & belli &, ut me brevibus expediam, omnium rerum arbitrium penes ipsos esset, (q) omnia, ceteris magistratibus ordinibusque populi obedientibus, curabant. Ad hoc peculiare ius exprimendum viginti quatuor lictores habebat dictator in urbe qui fasces securesque prætereabant, & sic ceteris regiis insignibus muneris splendorem augebat. Quare & *edictum eius*, Livio teste (r) *semper pro Numine aliquo est observatum*. Ad eius splendorem adhuc eo magis augendum ipsi quoque aderat *Magister equitum* (s) qui ab ipso dictatore dicebatur, ac proprie equitibus (t) tantum præerat, cum dictatore contra universo præesset populo. Tandem vero, cum ab uno alteroque ea abureretur, dictatoria potestas lege Antonia (u) in perpetuum abrogata est.

§ 2

Miseram profecto reipublicæ romanæ post eictos reges & delata in manus populi maiestate erat forma. Regibus enim vix ac ne vix quidem eictis semina discordiarum inter plebem & patricos spargebantur. Patriciorum fastus, ambitio, prærogativa atque distinctio in plebejos affectata, suppressa

V. 74. (p). Rhodigines lect. Antiq. p. m. 555 & J. Minellii Notæ ad Sallustium p. m. 126 in fine.

q) Dion. Hal. V. 74. cfr. Nicuport. l. c. p. 114.

r) Ib. VII. c. 7.

s) Dion. Hal. V. 75.

t) Livius III. 27. & VIII. 36. XXII. 26. Polybius III. 87.

u) Cic. Philipp. l. I.



pressio aere (x) gravatorum & obrutorum, (y) ac mollissima in erigenda Aristocratia irritabant plebejos: plebs autem popularis status amantissima omnem, si quando in furorē abiret patientia, Senatus auctoritatem proculcabat. Porro patricii ius dicendi potestatem sibi vindicabant ac populo certas solemnesque formulas praescribēbant, ne, pro ut vellet, actiones institueret: Plebeji vero patriciorum imperium soli ferre detrectabant. Hinc dum in legum sanctione consentire debebant, crudelissimis diffidiis sibi invicem contrariebantur. Concurrēbant haec cum factiosorum hominum malitia, quae ex discordiis publicis occasionem privatis commodis petebat. Maximarum autem praeterea contentionum & turbarum ansam dedit, quod patricii ad honores & magistratum tam difficilem reddidissent. (z) Cum itaque plebs in sua libertate varie variisque injuriis agitata premi a patribus videretur, A. V. C. 260 duce Sicinio libertatis cupiditate incensam montem Sacrum armata secessit, ibique haesit annum fere unum, nec prius reduci in urbem potuit, donec *sacratam* a patribus *legem* (a) extorqueret, hoc est, ut ipsis e plebe magistratum suum cre-

- are
- x) Lucem huic rei commodabit, saltem tenebras non offundet Flori locus, qui Libro I. c. XXIII, ita: prima discordia ob impotentiam sceleratorum: quibus in terga quoque serviliter faventibus, in Sacrum montem plebs armata secessit: egregue, nec nisi tribunos impetrasset, Menenii Agrippae sacundi ex sapientis viri auctoritate, revocata est.
- y) cfr. Florus epit. XI.
- z) Res forsitan eodem tempore iam ita non desimili ratione comparatae erant, uti nunc nostris sit moribus; de qua re egregie poeta:  
Cuncta pauperibus clausa est, dat census honores:  
Inde gravis iudex, inde severus eques.  
Ad probationem autem eius, de quo hic nobis sermo est, in primis confertur Livius Lib. VI. c. 37.
- a) Vid. Festus voce *Sacrata*. p. m. 418. Sacrabantur vero leges aut consecratione, obtestatione vel iuramentum execratione, aut potestatis sanctione: Vid. Wilh. Godelevzi observat. in Livii libros p. 86 & Adr. Turnebus in Comment. ad libr. secundum Cic. de legibus p. m. 96. Hinc apud Livium libr. XIX. s. 5. *sacro sancta potestas pro tribunicia sumitur.*



are tribunōs plebis, sui juris vindices & custodes, liceret, quique plebem a patriciorum iniuria defenderent, nec unquam hunc patricio Magistratum capere liceret. Ad plebem itaque sedandam sancitum tuit, *ut plebi sui magistratus essent; sacrosancti*, (h. e. si quis tribunum plebis verbo aut facto violaret, ipsum impune occidi posse ac sacrum esse,) quibus auxilii ratio adversus consules esset, *neve cui patrum capere eum magistratum liceret*. (b) Consequuntis igitur per secessionem tribunis plebis, qui potestate gauderent, ut, quod ad plebem tulissent, quodque plebs iussisset vel scivisset, (c) id ratum esset, (quæ ratihabitio plebiscitum vocabatur,) potestatis legislatoriæ partem ad se trahere cœpit. Atque hæc plebiscitorum erat origo. (d) Hanc vero legem non absque patrum offensione perlatum esse, facile est ad existimandum, quum hi, quicquid plebis commodo sanciebatur, id suis decedere opibus credebant. (e)

## § 3.

Tantum vero abfuit, ut omnia, quibus plebem vexarent, patriciorum consilia in plebejos infesta nunc exhausta essent, ut magna potius astutia & calliditate omnia iterum nova, quibus plebiscitorum auctoritati illudere possent, excogitarent. Omnibus sese plebiscitis solutos esse dicebant; hinc nova exoriebantur certamina. Patres non se, sed plebem plebiscitis obligari, non sine omni æquitatis specie contendere videbantur; plebs vero, ut & illis patres tenerentur acriter postulabat. (f) His concitati plebejorum animi ad extrema dilabuntur; utque huic malo remedium parent

ac

b) Livius libr. 2. Cap. 33.

c) Gellius libr. 15. 27.

d) Vid. Thomasi delineat. hist. jur. § 15 p. 11.

e) Livius 3. 58.

f) Livius 3. 55. Cfr. Heineccius hist. jur. p. 34.



ac plebiscitorum splendorem obtinerent, perriteatam secessionem in montem Janiculum patribus in durissimam legem consensum extorserunt. Placabatur autem iis conditionibus, quod tribuni plebis ipsis restituerentur, plebiscita omnes tenerent, abdicatisque decemviris iterum consules crearentur. (g) Creabantur id temporis consules populares L. Valerius Poplicola (\*) & M. Horatius Barbatus, qui, cum, veluti in controverso iure esset, tenerentur patres plebiscitis? (h) ad certamina componenda & plebem in urbem revocandam centuriatis comitiis A. V. C. 304. (i) legem, quæ *Horatia* (β) a rogante vocatur, rogantur; ut, quod *tribunum plebis* *inisset*, *populum teneret*. Lata igitur hac lege patriciorum auctoritas in perdenda populi libertate occupata penitus prostrata iacere & plebis vires denuo efflorescere videbantur. Verum enim vero & ne hæc quidem lætitia populo admodum fuit diuturna, sed spem contra omnem cito evanuerunt, quæ per legem hanc de plebiscitorum auctoritate erant constituta.

§. 4.

Patriciorum ergo dolus & contumacia nova cavillatione

- B
- g) Vid. Io. Minelli Commentar. ad Salustium p. m. 114. & Bailius Dict. historic. & critic. artic. *Hortensius* nota c. editionis germanicæ quæ C. Gottschedii studio prodit.
  - \*] Confr. Dionys. Halicarnass. Lib. II. c. 49. Dionysius Halicarnass. Lib. XI. p. 725. nec non Conradi diss. de jure Quiritium &c. p. 6. Livius 3. 55. 58. & Rupertum apud Uhlum p. 81.
  - h] vid. Turnebus in Commentar. ad Cic. Lib. I. de legibus p. m. 69.
  - i] Ad annum quod attinet, dissentientiam hic habemus Illustr. Heinemann in synagmate Hist. iur. p. 45. qui annum A. V. C. 306. refert. Sed nostræ sententiæ ad stipulatur Conradi in diss. de jure Quiritium a civitate romana non diverso p. 6. & Rupertus in animadvers. ad Pomponii cæciliidion de origine juris apud Uhlum p. 80.
  - β) Cfr. Ant. Augustinus de legibus apud Grevium Theaur. Antiquit. rom. tom. II. p. 1203. Carol. Sigonius hanc legem ignorasse videtur vid. ff. 6. infra.



tionem legem Horatiam infringere eique vim inferre studuerunt. Utque eo majori, uti patabant, & feliciori successu huic legi illuderent ac obsequium negarent, per calumniam contentebant speciem præbente solenni rerum publice gerendarum formula: *sonatus populusque romanus*, (k) se non contineri vocabulo *populus*, sed intelligendam partem tantum civium romanorum eam, quam populi romani nomine in lege Horatia significari. (l) Cum igitur hac ratione populi iugum excutere & altiora spirare vellent, ipsorumque & senatus assurgentes vires duriora minarentur, mutua iterum odia plus quam Vatiniana enascebantur. Patricii plebscita, plebs Seta, quum posset, supplantabat & eludebat. Hunc perversum reipublicæ statum iterum in melius formandum, & turbulentis tribunorum plebis concionibus concitatum adversus patres plebem placandam, totamque civitatem consonam ac concinnam in iuris unione reddendam, nova lege patriciorum cavillationi opposita opus esse videbatur. Post multas ergo patriciorum tergiversationes A.V.C. 416. (m) denique Q. Publius Philo dictator, (n) plebejæ gentis homo, adeoque in plebem propensus, his injuriam & vim patientibus succurrens, nec passus quenquam suo jure defraudari, lata nova lege, *Publilia* vacata veterem confirmavit, & dubium, *numne patres etiam populi nomine com-*  
pre-

k) Vid. Conradi diss. cit. p. 6. Zamosi de Senat. rom. p. 190.

l) Et cui ignota est veterum dicendi ratio & consuetudo, qua sæpe *Quiris* hominem de plebe quemlibet & populo romano, vilem romanum denotat. Ita etiam pessimum fervorum genus, Aul. Persius Satyr. III. p. m. 72. *induto capite hesternos Quirites* appellat, i. e. qui pridie ante mortem domini sui testatoris ideo manumissi & libertate donati erant, ut raso capite pileum sumentes tanquam pileatili & capite induto incedant ad sepulcrum magna pompa ante manumissoris corpus vid. Gutherius de iure Manium lib. I. p. 139.

m) Hunc annum ponit Conradi: c. p. 6. Alii Annum V. C. 414. fuisse autumant.

n) Notandum hic venit Godelevæus in observat. ad Livium p. 97. qui Philonem nostrum consulem creatum fuisse & collegam *Emilium Mamercum* habuisse assererat, vid. ab Almeloveen Falti Consulares,



prehenderentur, sustulit. (o) Huius autem tria erant capita, quorum primum huc maxime pertinet. 1) *Vi plebiscita omnes Quirites tenerent.* (p) 2) *Vi legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent.* (q) quod iam lege Maenia cautum fuit, & tantum a Publilio repetitum. Sic quod senatui liberum erat, id necessarium fecit, quod quoque more factum erat, id ut lege fieret, sua lege sanxit. 3) *Vi alter utriusque ex plebe, cum eo ventum sit, ut utrumque plebejrum Cons. fieri liceat, censor fiat.* (r) Qua posteriori etiam lege grave patricii damnum accipiebant. Nam nunc plebis potestas fastigium attigisse, ipsiusque auctoritas praevalere videbatur; sed haec quoque omnia mox evanuisse constat. (s)

§. 5.

Ante vero quam has leges patrum cavillatione invalidas iterum redditas relinquimus, paucis adhuc de vocis origine *Quirites* ejusque significato differere iuvat. Cives romani cur *Quirites* dicti sint & a quo haec appellatio desumpta sit, inter eruditos variant sententiae. (t) Nonnulli romanos *Quirites* a *Quirino*, (u) h. e. Romulo dictos volunt; Romulum autem *Quirinum* a *Quiri* sive *Curi*, quae vox sabinorum lingua hastam denotaret, quod *hasta*, tanquam fortitudinis symbolo, assidue uteretur, appellatum putant. Sed perperam. (x) Sunt etiam, qui *Quirinum* dictum volunt a *Curibus*,

B 2

quae

- o) Vid. Thomafius l. c. §. 16. p. 41. Manutius de legibus p. 343. & Conradi l. c. p. 8.  
 p) Livius libr. VIII. c. 12. Manutius l. c. pag. 343. & 351.  
 q) Vid. Heineccius syntagn. Antiquit. lib. I. tit. 2. §. 3. p. 37. Livius libr. VIII. c. 12.  
 r) Vid. Parduiphus Pratejus leges populi romani, qui libellus tom. V. thesaur. jur. Eyerh. Ottonis p. 511. insertus est. Nec non Manutius l. c. p. 103.  
 s) est Livius libr. VIII. c. 13. & Gronovius libr. observat. c. XXV.  
 t) Vid. Gisbertus Cupeus libr. II. observat. c. 2. p. 156. seq.  
 u) Iustinianus §. 2. Instit. de jur. nat. gent. & civili & §. 4. Instit. de Libertia.  
 x) Vid. in Pervigilium Veneris annotationes edit, quae charta quadruplicata prod iit, p.



que fuit urbs sabinorum opulentissima. Romulus enim initio fœdere cum T. Tatius Sabinorum rege, æquato cum illo imperio, sabinisque in civitatem receptis ut novorum incolarum benevolentiam aliqua sibi ratione conciliaret, mixtam nunc romanorum Sabinorumque gentem uno & communi nomine *Quirites* appellavit. (y)

Hanc posteriorem vocis *Quirites* originem verio rem esse certissimus nobis est auctor Livius. (z) Verum enim vero ut vara vibiam sequitur, ita & de nominis derivatione non omnes scriptores consentiunt. Qua propter nolo aut hanc sententiam, quam Livii autoritate nifus protuli, propugnare acrius, aut alteram oppugnare diligentius, cum nec error quicquam damni, nec veritas magnum fructum afferat. Adducam tamen adhuc classicum Ovidii (a) locum, qui totam hanc controversiam in medio relinquens ita canit:

Proxima lux vacua est; at tertia dicta Quirino.

Qui tener hoc nomen, Romulus ante fuit.

Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis:

[ Bellicus a telo venit in astra Deus ]

Sive suum regi nomen posuere Quirites:

Seu quia romanis junxerat ille Cures.

Quiris (b) autem in genere unusquisque romanus nobilis non minus, quam plebejus appellatur (c) Universum itaque populum vocabulo Quiritum comprehendi, caput legis Publiciæ primum supra citatum evidentissime evincit. Ac cum Livius [d] alios Quirites Senatoribus opponat, illos etiam

p. m. 32. Minellius ad Iulium p. m. 243. Nieupor. Antiquir. sect. I. c. I. §. 2. p. 7. & sect. IV. c. I. §. 23. p. 227.

y) cfr. Conradi I. c. p. 4.

z) Libr. I. c. 13. huius sententiæ iam subscripsit Conradi I. c. p. 2.

a) Libr. II. Fastorum p. m. 39.

b) obiter moneo, vocem Quiris loco vocis romanus in recto non inventi, id quod amoret Vossius de vitis ferm. 63. & lib. I. de analogia c. 41.

c) Quod pluribus locis classicis probavit Conradi p. 6. seqq.

d) Libr. III. c. 17.



etiam Quiritium tamen nomine venire aperte indicat. *A* Quiritium tamen nomine, quod incidenter hic moneo, milites, qui exauctorati censebantur, simulac eos ita alloquutus est imperator, abhorruisse nos docet Suetonius. (e) Plura interim & solidiora qui cupit, adeat Mylium in eruditissima dissertatione de jure Quiritium. Sed redeamus e diverticulo in viam.

§. 6.

Restat adhuc, ut dispiciamus, num lata Publilia lege solidum demum robur acceperint plebiscita. Sicuti vero lex Horatia, ita etiam Publilia plebiscitorum auctoritatem apud Patricios obtinere si ultra tentavit. Nam hi legislatoriam potestatem plebi concessam aegre ferentes ambitione huic legi iterum de rogarunt. Nondum enim omnia ipsorum exitiosa in plebem, quibus opprimere possent, consilia erant exhausta & penitus prostrata. Ut ergo plebem legislatoriae potestati inhiantem alio modo ulciscerentur, improbissimi & iniquissimi scenoris acerbitate vexare consueverunt. Cum hac scenoris acerbitate nihil aliud, quam plebis oppressionem meditarentur patricii, eam sese, plebeis aere alieno laborantibus, atque patriciorum tanquam creditorum gratiae obnoxiiis, obtenturos confidenter admodum & certissime sperabant. Forsan etiam id, quod pristinis temporibus *A. V. C.* 256. more receptum fuerat, iterum introducere in animo habuerunt. Nam qui eo tempore aes alienum contraxerat, libertatem, si debita solvere non posset, amittebat. (f) Qua calamitate, dum patres pro dominatione, certare videbantur, plebs exacerbata & ad desperationem incitata audendum esse iterum aliquid universis, aut omnia singulis patienti arbitrabatur. Hinc tertia vice urbe relicta *A. V. C.*

B 3

465.

e) in vita Iulii Caesaris cap. 70. cfr. Heineccius in hist. jur. p. 36.  
 f) Vid. Hoffmanni illustrat. ad Thomassii delin. hist. jur. p. 13.



465. (g) in Janiculum montem armata plebs secessit. Quo perturbato rerum statu intestinis bellis ad reipublicæ perniciem vergentibus misera reipublicæ iterum romanæ erat facies. Quia vero ad hanc comprimendam seditionem & tollendam parum opis esse videretur, ad ultimum, ut in re trepida, remedium deventum est, nimirum, ut Quintus Hortensius dictator diceretur. (h) Hic tēpore cedens non solum plebem a fœneratorum truculentia & crudelitate vindicavit, sed in sequenti etiam anno lata nova eaque admodum populari lege paulo accuratius (i) sanxit: *ut, quod plebs iussisset, omnes Quirites teneret.* (k) Concessa igitur plebi a patribus, cum ob seditionem in magno essent timore, ista potestate arma ceciderunt & seditio est restricta. Hortensius autem noster legis sententiam, vel quæ rogata plebs sanxisset, ad omnes cives romanos vel ideo pertinere voluit, vel, ut iura plebis augeret, cum ipse plebejus esset; vel nulli reipublicæ consilio ideo æqua omnibus jura descripsit, quod in libera civitate dissimilem civium conditionem discordiæ seminari largiter gignere crederet, (l) Lata igitur est lex Hortensia

g) Alii annum 466. commemorant, ut Heineccius in synagm. Antiq. p. 46. Ast idem in historia juris annum 465. annotat. Forsan in priori loco est menda.

h) Vid. Heineccius Hist. iur. p. 36 Gellius XV. 27. §. 4. Inst. de iur. nat. gent. & civili Everhardus Otto in Comment. ad Inst. p. 37. seq. Huius sententiæ, citante Baylio in Lex. historie. critic. artic. Hortensius nec b. est propugnator Augustinus de civit. Dei L. III. c. 17. At difficile est, certi aliquid, quo anno dictator creatus sit, constituere Sigonius & Baylius, ipsum A. V. C. 497. creatum esse arbitrantur eandemque sententiam foveri Harduinus in Plin. Libr. XVI. c. 10. tom. 3. p. 239.

i) Nam iam bis hæc lex a Valerio Potito Horatio Barbato & a Publio dictatore extar lata vid. Manutius p. 106.

k) Livius libr. XI. 27. Plinius H. N. lib. XVI. c. 10. est. Jac. Girardus in anchora ritualorum utriusque. juris Manutius l. c. p. 308. 348 356. Merula de legibus romanorum c. 24. p. 259. quibus astipulatur Iustinianus §. 4. Instit. de iur. nat. Gent. & civili.

l) Vid. Manutius l. c. p. 106. & 312.



fia (z) tertia facta secessione, cujus mentionem Florum (m) non injecisse vel ideo hic moneo, ne ab illius silentio contra nos argumentum duci queat. Commemoratur iste in suo libro de rebus gestis romanorum inscripto seditiones quatuor. Primam ob impotentiam fœneratorum, secundam ob libidinem decemviratus, tertiam ob matrimonia, quartam ob honorum cupidinem factam esse asseverat. Sine teste Florum talia affirmare, ideoque ob id recte notatum a Stadio ac copiosius refutatum a Ruperto (n) constat. Quare, hac in re enarranda longior sim, supersedere possum. Non debebat autem cum de secessionibus ageret Florus, duas posteriores admiscere seditiones & omittere secessionem, de qua hic nobis sermo est, tertiam, cujus tum Pomponius, (o) tum Plinius (p) mentionem faciunt. Simili ratione contra nos non pugnat Memmii apud Sallustium (q) sermo, qui romanos per secessionem Aventinum bis occupasse perhibet. Per hanc memoratam ergo tertiam secessionem renovata lege a Q. Hortensio dictatore Horatiæ & Publiliæ legis plebs plebiscitorum demum obtinuit splendorem & auctoritatem. Nam nunc populus universus æque tenebatur iis legibus, quæ tributis comitiis, atque iis, quæ centuriatis ferebantur. Sigonius vero legem, quæ Valerio & Horatio Coss. lata est, ignorasse videtur. (r) Nam in fastis suis ad annum urbis conditæ 467. dicit, Hortensii legem iam antea P. Philone perlatam esse.

§. 7.

(z) vid. Grævius Thesaur. Antiquit. tom. II. p. 1205.

m) Libr. I. c. XXIII.

n) Vid. Opuscula ad histor. iur. & maxime ad Pomponii Enchiridion illustrandum pertinentia, quæ collegit Joh. Ludovicus Uhlius, cui libello christ. Adami Ruperti Animadvers. p. 82. insertæ sunt, et Corn. Van Byrckershoek in prætermisissis apud eundem p. 244.

o) epitome Liviana Lib. II. cfr. Freinshemius in supplement. Lib. I. c. XXVI.

p) Hist. Nat. Lib. XVI. cap. X.

q) in Jugurtha cap. XXXI.

r) Baylius l. c. artic. Hortensius not. e.



§. 7.

Omnino autem explodi meretur ridicula Accursii ad §. 4. Instit. de jur. natur. gent. & civili glossa (s) statuens, legem Hortensiam a quodam Hortensio rege conditam esse. Falsæ suæ opinionis stabilien-dæ causa in nota c. ad L. 2. D. de orig. jur. audacter provocat. Verum enim vero iste locus, si diligentius inspiciatur, contra ipsum pugnat, nihilque plane de Hortensio, qui quondam rex fuerit, commemorat. Quare nullum præsidium pro corroboranda sua & latius propaganda sententia ipsum exinde petere posse, quis non videt? Præterea historia Hortensium regem ignorat. Recte ob id ipsum iam brevibus in nota asterisco notata a Sylvestro Adobrandino (t) refutatus est; quare hic & nobis breviores esse licet. (u) Huius hæc in nota d. ad lege Hortensia sunt verba: *sic dicta ab Hortensio, qui pacem composuit inter nobiles & plebejos & inter eos sic statuit, quod valeret plebiscitum.*

§. 8.

Ipsa gens Hortensia in romana republica antiquitate, bene gestis & gloria majorum una omnium maxime floruit. Gentis quod attinet nomen, ab urbe Horta *ἑρτουρος* habere videtur, cui derivationi calculum suum quoque adiecit Justus Fontanius. (x) Non vero desunt, qui aliam denominationis originem excogitarunt. Hos inter Alexander ab Alexandro (y) occurrit, qui Hortensios sic appellatos esse censet, quod horrorum studio & amore tenerentur. Hujus autem originis falsitatem jam agnovit & refutavit Fontanius. (\*) Docet enim ex Perizonio, (z) haud raro moris fuisse anti- quis,

s) editiones, quæ Venetiis 1560. charta octoplicata prodit. p. 13. b.

t) p. 13. b.

u) cfr. Heineccius histor. jur. Lib. 1. c. III. §. 41. p. 37.

x) in Antiquitatibus Horte Lib. I. c. I. §. V. p. 10.

y) genial. Dierum. lib. 1. c. IX.

\*) ibid. l. c.

z) in Annadvent. historici c. 1. p. 34.



quis, ut variis de causis ab Italiae oppidis, seu quod in iis domicilium haberent, aut nati essent, aut per majores inde orti; seu quod memorabile aliquid vel ipsi, vel patres eorum in illis gessissent, cognomenta desumissent. (a) Quemadmodum igitur ex hoc more familia Aquileii ab Aquileja, Tarquinii ab urbe Tarquinensi, Cariolani a Cariolo, Pompeji (b) a Pompejis & multae aliae familiae ab oppidis vetustissimis denominatae fuerunt; ita & non dissimili ratione ab urbe Hortae gentem Hortensiam cognominatam esse idem contendit. Magna autem Hortensios inter & Hortenses intercedit differentia. Nam posteriores Umbriae ac Latii incolae, si unquam fuerint, teste Cluverio (c) cito admodum perierunt & jam Plinii aetate eorum nec vola nec vestigium amplius superfuit. Quare inductus statuit Cluverius, (d) horum nomen, cum, ubi nam fuerint, investigari non possit, corruptum esse oportere. Fortassis isti Hortenses Latii, censente Fontanino, (e) sunt Hortoneses ex Hortana ultra Algidum montem. Umbriae vero Hortenses hoc nomine parum admodum quoque innotuerunt. Ista autem gens, ex qua Q. Hortensius dictator oriundus, florentissima admodum & nobilissima fuit familia. Haec magnum virorum clarorum in fago & toga proventum attulit, (f) nec hujus familiae sequior sexus gloria & fama destituitur. (g) Cui ignotus Q. Hortensius orator, qui ob eloquentiam in foro romano *causarum rex* dictus est? (h) Aut quem praeterit hujus dicti oratoris filiae mira facundia, quae, cum matronarum

C ordo

- a) Fontanius l. c. p. 12. cfr. Sigonius de nominib. Romanor. qui libellus adjectus est Auctoribus Latinae linguae in unum corpus redactis p. m. 1402. Nec non Isidorus Originum libr. IX. cap. 2. p. m. 1039.  
 b) Gisb. Cuperus in additamento ad Harpocratem p. 237.  
 c) in Italia antiqua Libr. III. c. 4. p. 969. d) ibid. e) l. c. p. 11.  
 f) Hoffmannus Lexic. univers. Gellius Lib. IX. c. 9. lib. I. c. 5. Cic. de offic. libr. II. c. 16. Rhodiginus Antiq. Lect. p. 1374. Nec non Grævius in praefat. ad tom. II. Antiq. rom.  
 g) Valer. Maximus Lib. 2. dictator, factor. memorabil. cap. 3. ex. 3. Quintilianus L. I. c. 2.  
 h) Vid. Hoffmann. Lexic. Univers. voc. Hortensius.



ordo graui tributo a triumviris premeretur, nec virorum quisquam ipsi adesse auderet, causam suam tam constanter egit, ut major pecuniæ pars ei remitteretur. (i) Quem fugiunt, si modo primis labris degustaverit romanas antiquitates, Hortensiorum magnifice exstructa opera, domus, (k) porticus, (l) villa. (m) Quis adeo hospes est in historia romana, qui nesciat, quam multa ec varia hujus familiæ in republicam romanam extent merita?

Controversiam interim, quæ in hujus gentis nomine recte scribendo occurrit, utrum cum vel sine aspiratione *Hortensius* nimirum pro *Ortensius*, an loco *Hortensius* omissio n. rectius reponatur, in medio reliquimus. Fufius hac de re disserit Fontaninus l. c. quo lectores plura legere cupientes ablegamus.

§. 9.

Supereff, ut paucis de ipso *Hortensio* legis *Hortensie* conditore agamus. Cum magnos homines viritate, non fortuna meriamur, hic eo illustrior atque honoratior est, quia ejus virtuti par data fuit fortuna. Eius autem aetas in ea incidit tempora, quibus in republica romana patricii maxime florebant, plebemque miris vexationibus penitus proculcare studebant. Sane illustrissimum ejus est factum, quod seditiosam plebem coercuerit, quæ diffidorum plebem inter & patricos compositio & virtutis & fortunæ fuit negotium. Cum enim tertia vice plebs in Janiculum secedens inimica mente posceret, ut impotens patriciorum dominatio refringeretur, dictator delectus est. Ille reipublicæ peritus & temporibus callidissime inserviens statim nihil aliud molitus est, quam  
ut

i) Vid. not. b. cui addatur Appianus de bello civili lib. 4.

k) Vid. Fabricii Romap. 109. l) Idem p. 130.

m) In hanc tanquam magnifico & egregio opere extractam & ut *Sallustius* ait urbium in morem & edificatam graviter invenit Cic. de legibus lib. II. in princ. p. m. 77. Ev. Otto ad Just. r. p. 36.



ut patricios & plebejos, quorum rebus maxime studebat, in sua teneret potestate, cum id se totius reipublicæ causa facere simularet. Vt enim in omnibus rebus singulari fuisse videtur prudentia, ita & dictatoris imperium humanitate ac clementia temperavit. Non ignorabat, quænam plebi causa seditionis esset, nimirum probe sciebat, legis Publiliæ transgressionem novæ seditioni occasionem dedisse. Hinc ille plebæ consilii & ad res gerendas aptus, cum ob seditionem, quam plebs animo non solum, sed corpore etiam agitabat, salutem reipublicæ in summo discrimine versari videret, imminenti ruinæ succurrere & ferenda ista lege, de qua §. 6. fufius egimus, rempublicam salvam & incolumem servare contendit. Ita, dum plebis commoda adeo sedulo curarer, patriciisque multo fidei quam salutis suæ fuit cupidior. Valde autem erravit Morerus norante Baylio (n) asserens hunc Hortensium fuisse Jurisconsultum & legislatorem, quare ab eodem jam refutat est. Alterum autem errorem, quem in hoc Hortensio admittit, quod concernit, dum affirmat Morerus, dictatoris nepotem fuisse Q. Hortensium oratorem, sibi ipsi aperte contradicere videtur. Nam ipsius sententia Hortensii nostri dictatura in annum V. C. 468. incidit, ergo non est proavus Q. Hortensii oratoris, qui, uti ipse affirmat, A. V. C. 654. tribunus militum fuit. Ultimum & quod maxime memorabile esse videtur in eo consistit, ut Hortensius noster durante officio suo, quod de nullo alio dictatore legitur, vitam cum morte commutaverit. (\*)

§. 10.

Legem Hortensiam pro plane nova habentes cum tantum renovatio legis Publiliæ & repetitio sit per quam Publiliæ autoritas est restituta, egregie falluntur. Nam quoad argumentum hujus legis unum idemque, quod jam in lege Va-

C 2

le-

n) in Lexico historic. critic. artic. Hortensius nota d.

\*) Vid. Florus epitome Lib. XI. in fine.



leria & Horatia cautum erat, continet. Scimus præterea, multas alias leges diversis temporibus plures labores habuisse, dum vetus lex nova lege vel corrigebatur, vel, ut tempus moresque postulabant, aliis cautionibus adjectis augebatur vel confirmabatur, quibus salutarium legum cavillationibus obviam ire & illusiones evitari poterant. Tale quid in memoratis legibus accidisse, quem fugere potest? Nam cum de communi omnium Quiritium iure lege primum Valeria & Horatia sanciretur, ut, quod tributim plebs inisset, (o) populum ieneret; patres autem dubitarent, num vocabulo plebs comprehenderentur? Q. Publius Dictator lege ista, de qua supra §. 4. cavillationi patriciorum opposita legem Horatiam ulterius renovare & extendere cœpit. (p) Quia vero per omnia hac lege patribus nondum satis impeditum erat, quominus huic legi obsequium negarent; hæc duæ antecedentes leges per Q. Hortensium dictatorem nova quasi lege accuratius sancita confirmatæ sunt, omnisque (q) plebiscitorum auctoritatem & valorem occasio denegandi ademta est patriciis. Quis ergo Hortensiam legem, cum, uti per omnia constat, tantum repetitio & renovatio priorum antea latarum sit legum, plane novam & primum ab Hortensio excogitatam reputabit? Coactus fuit Hortensius dolo & contumacia patrum, qua omni arte & astutia legibus se solutos efficere volebant, ut latas antea leges renovaret ac capitibus sanctionibusque gravioribus confirmaret. Longe ergo mea quidem sententia, illi aberrare videntur, qui contrariam, nimirum, quod nova plane fuerit lex, sententiam defendendam suscipiunt. Simili vero ratione & erroris immo audaciæ temeritatisque accusari merentur, qui ut suæ rei consulere possint, legem Hor-

o) Jubere & sciscere populus vel plebs dicebatur, ferre vero rogare & perferre Magistratus vid. Joh: Frid. Gronovius ad Livium X. 13.

p) vid. Andr. Alciatus de Magistr. rom. qui Lipsii aureo de Magistrat. rom. libello subjectus est p. 66.

q) vid. Livius Lib. XI. c. 27.



Hortensiam plane expungunt & pro Hortensia Horatiam substituant. [r] 1

§. II.

Quæritur nunc, num Pomponius errorem commiserit, cum L. 2 §. 8. D. de orig. Jur. nullam legis Horatiam mentionem fecerit, & an ibidem lex Horatia pro lege Hortensia reponenda sit? (s) Sententia negans prævalere videtur. Nam loco laudato Pomponio de tertia secessione in mor tem Janiculum, & inde lata lege Hortensia, qua plebiscitorum a Horatis antea vacillans & minus plene vel certe inter mortua confirmata & sequenti tempore diligentius, & sanctius observata fuit, sermo omnino esse videtur. Recte igitur Pomponius compendio usus Horatiam & Publiliam leges tanquam invalidas omisit, sufficere ratus, si posteriorem, qua demum plebiscitorum valor & auctoritas constituta & stabilita est, legem adduceret. Patet id quod ex §. 4. Infit de jur. nat. gent. & civili, ubi Justinianus eadem de causa legis tantum Hortensiam mentionem iniecit. Hinc magna interpretum elucet temeritas & quam male a nonnullis habeatur Pomponius, qui, dum nesciunt, Hortensia demum lege solidum plebiscita accepisse robur, verbis Pomponii e vestigio criticum admovent cultellum & rescato & exstirpato Hortensiam legis nomine Horatiam rescribunt. (t) Nonne hi videntibus oculis contra regulam: *postrema quæque lex est gravissima* impingunt? Sunt etiam adhuc in Pomponium iniquiores, qui nullo, si Diis placeat, teste in tertia secessione de plebiscitorum valore inter patricios & plebejos disputatum fuisse negant & pernegant. Sed optime his jam satisfecit Bynckershoek l. c. Ac si nulla de his esset agitata inter ipsos iterum controversia, cui tunc bono lex Hortensia? P. Manutius (u) turbata temporis ratione varie hic loci tricatur, & dum simul ad varietatem & scriptorum dissensum in nominibus provocet, *quæ in varietate verum*, inquit, *inter noscere difficile est*. Ob id ipsum quoque jam a Ruperto (x) notatus est.

C 3

§. 12.

- r) vid. Hoffmannus in illustrat. ad Thomasi delin. hist. jur. p. 48.
- s) vid. Corn. van Bynckershoek Prætermissa apud Uhlum p. 244. & Rupertum apud eundem p. 81. nec non Cujacii Commentar. ad h. l. apud Uhl. p. 14.
- t) Connanus lib. I. c. 13. n. 6. qui Goveanum lib. I. variar. lect. c. 22. sequutus esse dicitur. Cfr. Everh. Otto in Commentar. ad Infit. p. 38.
- u) de legib. romanor. p. 225. & 312.
- x) apud Uhlum p. 81. seq.



§. 12.

Videamus nunc an plebiscita post legem Hortensiam valuerint, an iterum restricta fuerint? Primo cum patricii plebiscitis teneri nolent, plebiscita vocabantur. Quia vero multa discordia plebem inter & patres de his plebiscitis nascebantur, post leges Horatiam, Publiliam denique Hortensiam & ea pro legibus observari placuit & perinde ac leges jure maximo valuerunt. (y) Ex eo itaque tempore plebiscita vim nominisque legum nec sine jure assumerunt; quamvis id more antiquo non fieret. [z] Atque hæc vera est ratio, cur Atejus Capito apud Gellium lib. X. 20. leges & plebiscita commiscuerit; quia scita plebis etiam legis nomen accepere. (a) Huc autem ex jure romano leges Voconia, Atilia, Falcidia, Aquilia &c. pertinere videntur, quæ nihil aliud, quam plebiscita sunt, sed vim legis obtinuerunt. [\*] Quo factum est, ut plebiscita inter & legem species constituedi interessent, potestas vero eadem esset. (\*\*)

§. 13.

Paucis adhuc consideremus leges inter & plebiscita differentiam. In eo autem a se invicem differre videntur: I. quod lex interrogante superiore, plebiscitum plebejo Magistratu & eo quidem, cui illud collegio sorte vel reliquorum collegarum consensu obtigisset, (b) conderetur: II. illa suffragante universo populo, hoc plebe tantum, III. illa in Campo Martio, hoc etiam in circo Flaminiæ, aut in Capitolio vel maxime in comitio. (c) IV. illa in Comitibus centuriatis, hoc in tribubus conderetur, & V. illam populus; hoc autem plebs dissuaderet. Pluribus hac de differentia agunt Brunquell (d) Heineccius [e] & Beyerus. (f) Characterem vero, quo leges & plebiscita a se invicem discerni queant, hunc nonnulli commendant, quod hæc u-

num

- y) Cic. de lege Agrar. II. 8. Cyriac. Lentulus de statu rei roman. p. 151. & 154.
- z) Gellius XV. 27. XX. 20. III. Heineccius syntagm. antiq. roman. lib. I. tit. II. p. 43
- a) vid. Everh. Otto Commentar. ad Instit. p. 37.
- \* ) vid. Beyer delin. hist. jur. positione 70. p. 18.
- \*\* ) vid. Cujacii Commentar. apud Uhlum p. 10.
- b) Livius III. 65.
- c) Vbi ex rostris tribuni ad plebem concionabantur. Exempla occurrunt apud Cic. Famil. lib. 8. epist. 30. & ad Atticum lib. I. epist. 1.
- d) in hist. jur. cap. VII. p. 69.
- e) in syntagm. Antiq. lib. I. tit. 2. p. 44. seq. & 52. seq.
- f) in delin. histor. jur. posit. 61.



num tantum nomen præ se ferant scilicet Tribuni, qui plebem rogavit; illæ vero ab utroque Consule nomen acciperint. (g) Quamvis posterior ut plurimum ita se habeat, ut leges a consulibus latæ ab utroque (h) consule quoque nomen acciperent; attamen negari quoque non potest, existere leges, quibus unicum nonnunquam nomen datum est, si ab uno tantum consule vel a prætore vel denique censore latæ fuerant. Sic legem ab uno tantum consule nomen nesciam habemus Horatiam; item habemus Fabiam de plagiaris, Æmiliam, Aureliam & nonnullas alias leges. (i) Quare character iste, quem viri eruditi suppeditant, admodum fallax & incertus esse videtur.

§. 14.

Quæritur nunc denique postremo, an idem Hortensius istius legis Hortensia auctor sit, qua effectum est, ut *nundinae, quæ olim ferie fuerunt, fasti postea essent*? Affirmat Zamolxi (k) Merula (l) Puteanus, (m) Augustinus (n) Festus, (o) & Dionysius Halicarnass. (p) Ejus autem capita recitat Macrobius (q) 1. ut *nundinae, quæ prius erant ferie, fasti essent*; 2. ut *rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent*. Dies apud Romanos alii fasti, alii nefasti (r) erant vel interdicti. Quare civibus romanis honesta occupatis operam, ut aliquando interdum essent ferie, a legislatoribus salutariter etiam est provisum. Feriæ autem istæ vel mobiles vel fixæ fuerunt; & hæc vel anniversariæ, vel menstruæ, vel certo dierum ordine circumactæ. Singulis mensibus Kalendæ, Nonæ, Idus non omni curarum strepitu maxime fœneratorio vacuæ redibant. (s) Præter has autem operum vacationes nonno quoque die cives romani, quorum opera in agris ex Romuli instituto tenebatur, a rustico opere vacantes in urbem ad negotia vel publica vel privata conveniebant & partim ad jus accipi-

g) p. 1. Merula de legibus romanor. c. XXIV. p. 256. seq.

h) c. g. Lex Papia Papæ de maritandis ordinibus, ad quam cfr. Jll. Heineccii egregius Commentarius.

i) vid. Heineccius syntagm. Antiq. lib. I. tit. II. §. 13. p. 37.

k) de Senat. rom. p. 421.

l) l. c. p. 259.

m) de Nundinis c. 8. seq. cfr. Paræulphus Prætejus leg. pop. rom. apud Ortonem tom. V. thesaur. jur. p. 498.

n) apud Grævium l. c. tom. II. p. 1205.

o) in voce Nundinæ.

p) Libr. VII. § 4.

q) Saturnal. lib. I. c. 16. p. m. 328.

r) Gellius lib. V. 17. & Cytac. Lentulus in Apice gloriæ roman. lib. I. c. XV. p. 60

s) Gellius lib. V. 17.



piendum, partim ad mercatum confluebant. Nam *octo diebus*, ut Rustilius apud Macrobius, (t) *in agris russici opus faciebant, nono die intermisso rure ad mercatum legesve accipiendas romani veniebant.* Hæc dies autem, quarum lex Hortensia meminit, dictæ Novendinæ & per contractionem Nundinæ, ad quas Anthrax in Aulularia (u) aludere videtur; ita enim ille:

Cocus ille nundinalis est, in nonum diem  
Solet ire coctum

Quamobrem tribus nundinis legem ferendam, antequam acciperetur, proponi oportebat, ut ab omnibus diligenter cognosci posset. (x) Hæc igitur fuit ratio, cur nundinas Q Hortensius dictator fastas fecerit. Fastus autem dies vocabatur, quo ius dicebatur, vel, uti Macrobius scribit: (y) *quo Prætorilicebat fari tria verba solemnia DO, DICO, ADDICO.* Nefasti autem dies erant, quibus fari non licebat, qui vel feræ erant, vel pontifices omnis seu religionis causa *justitiam* (z) indixerant. Intercisi denique dies erant, quibus tantum per pomeridianum tempus fari licebat; si enim mane sacerdotibus hostiam cædere placuerit, judicia silebant. Reliqui vero omnes dies nefasti habebantur; cumque olim ante legem Hortensiam nundinæ quoque essent nefasti dies per legem hanc latam, ut iam supra, fasti sunt facti. Tulisse autem Q Hortensium dictatorem hanc legem A. V. C. 468. scriptorum veterum & recentiorum testimoniis Merula [a] comprobavit. Qui ceteroquin plura de nundinarum origine, de fastis nefastisque diebus perlegere cupit, Macrobius (b) Puteanus, (c) Hoffmannum, (d) multosque alios egregie hac de re differentes consulere potest.

e] l. c. p. 332.

a) Apud Plautum p. m. 99. edit. Douzæ cfr. Jac. Gutherius de jure Manium lib. I. c. 26. p. m. 161. x) Merula l. c. p. 260. y] l. c. p. 328.

z) Pluribus hanc vocem illustrat Godelevæus l. c. p. 91.

a) l. c. cap. 24. p. 260.

b] l. c. p. 332.

d] in histor. jur. p. 63.

### Tantum.

Errata typothetæ graviora.

pag. 4. l. 4. lege nancisci. p. 4. l. 16. *gravioris.* p. 4. not. e. l. 4. *hac in re.*  
p. 6. l. 3. *sine mora.* l. 4. *ipfi.* l. 17. *dictator e contra.* p. 7. not. z. l. I. *diffi-*  
mili. p. 8. l. II. *vocabatur.* l. 14. *perlatam.* l. 15. *dum bis.* p. 9. l. I. *spen-*  
dorem obtinerent, per iteratam, p. 12. l. 1, 2. *inito fædere.* p. 16. §. 8. l. 2. *re-*  
*bis bene gestis.*











Göttingen, Diss., 1754 Bo-2

ULB Halle

3


005 360 730











*1. Quæstio, de lege Hortensia.*

*Jur. Civ. Vol. 2. 11.*

1754, 19

14

~~1427~~

COMMENTATIO  
DE  
LEGE  
HORTENSIA

AUTORE

JO. LUDOLFO QUENTIN

PHILOS. CANDIDATO & SEMINARIJ, QUOD

GOETTINGÆ FLORET, PHILOLOGICI

QUONDAM SODALE.

---

Anno 1754.

